



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 9. Quænam est materia proxima hujus Sacramenti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacram. Extr. Vnct. Cap. I. 223

valis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materia naturali proprietate: & ideo oportet quoddam hac efficacia ei per sanctificationem detur.

Quaest. 9. Quænam est materia proxima huius Sacramenti?

Resp. Ipsamet unctio, ut patet ex his Divi Jacobi verbis, Ungentes cum oleo. Et, ut ait Concilium Tridentinum; Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus-sancti gratiam, quâ invisibiliter anima egrotantis inungitur, representat.

Concil. Trident. sess. 14.
De Sacram.
Extrem. Vnctio. cap. 1.

Quaest. 10. Quænam est forma huius Sacramenti?

Resp. Idem Concilium ibidem asserit: Formam deinde esse illa verba: Per istam sanctam Vnctionem, &c. Quibus utitur Presbyter in administratione huius Sacramenti.

Quaest. 11. In quibusnam corporis partibus fieri debent unctiones?

Resp. Ut dicitur in Rituali Romano. Quinque verò corporis partes præcipuè ungi debent quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os, & manus; attamen pedes etiam & renes ungenti sunt; sed renium unctio in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Ritual. Roman. De Sacram. Extrem. Vnctione.

Quaest. 12. Quando ungentur oculi, aut aliæ partes geminatae, sunt-ne proferenda verba formæ super qualibet sigillatim?

Resp. Dum oculos, inquit Rituale Romanum, aures & alia corporis membra, quæ paria sunt, Sacerdos ungit, caveat ne altero